

Tommaso, preposito cavense del
monastero della SS. Trinità di Venosa

XIX 106

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Tommaso, preposito cavense del
monastero della SS. Trinità di Venosa

XIX 106

1114-03

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Anno ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi millesimo centesimo quartodecimo, mense martii, indictione septima.

Ego Thomas monachus et prepositus monasterii Sancte Trinitatis civitatis Venusine una cum Iohanne comite monacho fratre nostro filio quondam Sergii Merule Amalfitano, intus civitate Melfia ante presentiam Alferii iudicis aliorumque bonorum hominum qui subter asscripti sunt, declaramus quia habemus stazionem unam in ipsa platea maiore pertinentem predicto monasterio nostro et per preceptum domni Ugonis abbate nostro cunctorumque fratrum nostrorum simul cum Iohanne filio Saiberto advocato nostro vicariam facimus tibi Leoni Amalfitani qui cognominaris Sclavus et per fustem traditionis vicariam tibi nominatam stazionem et propter ipsam vicariatione quam tecum fecimus recepimus a te candelabrum unum bonum argenteum apretiatum solidos bonos centum et insuper pro remelioratione prenominati monasterii adiunxisti nobis tu iamdictus Leo solidos bonos scyfatos septuaginta septem. Est autem a stazionem ipsam unde tecum vicariam fecimus his circumdata finibus et mensurate pedibus: primus finis est via puplica a medio pustello a parte alia stazione que fuit predicti Sergii necnon cum media sporata et habet pedes octo et unzias quattuor; secundus finis est statione Saeverini Amalfitani et habet pedes viginti sex et unzias quattuor; tertius finis est domum Iohannis filii Philippi medici Salarnetani et habet pedes octo et medium cum sporata propria; quartus finis est stazione nostri Sergi Merule quem appignavit quidam Raoni Peronti Amalfitani et habet

pedes viginti sex. Est vero nominatus pes cum quo
astationem ipsam mensurata est quantum est a capite
huius carte usque ad incisam que facta est a sinistro
latere. Unde ego predictus Thomas simul cum nominato
Iohanne comite fratre nostro astante nobiscum predicto
Iohanne filio Saiberti advocato nostro guadium tibi
nominati Leoni Amalfitani dedimus et Stefanizus
senexalcus domni Guillelmi ducis et Gottefridus miles
filius Bernardi Troiani et Berengarii Sellictus filius
Ugonis et Riccerii astarii filius Iohannis Cicerelli
mediatores posuimus ut nunquam ego vel successores
mei nominatam vicariationem removeamus immo et
ab omnibus hominibus ipsam tibi et a tuis heredibus
omni tempore defendere placitamus. Quod si minime
ipsam vobis defendere potuerimus aut noluerimus
vel omnis ut supradicta sunt non adimpleverimus
ducentorum solidorum bonorum scyfatorum vobis
componere placitavit. Unde et predicti mediatores
se suosque heredes vobis vestrisque heredibus per
omnes res suas videlicet pignera legitima et inlegitima
sine appellatione pignerandi licentiam tribuerunt donec
omnia predicta in ordine affato compleantur.

Et hoc brebe scripsi ego Iohannes notarius inter enim fui
mense et indictione supra scripta. # Qui super Alferius
iudex # Signum crucis propria manu Ioffridi Sellarii filii
Imgerami # Signum crucis propria manu Roberto de
Bonus bassallus # Signum crucis propria manu Sergii
Gratiani filii Mauri Amalfitani # Signum crucis propria
manu Mauri Muscettuli filii Constantini Amalfitani #
Signum crucis propria manu Mauri Russi filii Sergi
Amalfitani